

veret, ac alia specimina, cum primis in Examinum solennitate, non sine Patronorum favoribus deponeret. Neque testimonia tanti favoris, & patrocini, manserunt occulta. Nam *divina gratia* certissimum interpretatur *documentum*, quod ex his *scholasticis indolis bonæ signis, & ingenii felicioris Symbolis, Summi Patroni* non obscurius sperare, sed certo confidere potuerunt, eum talem futurum, qualē cognitum judicarunt. Ex eo factum, ut *Splendidissimi Stipendii Schabbeliani Dispensator Beat. record. Vir* de publico suo tempore meritissimus, DN. ANTHONIUS HENRICUS GLOXINIUS, *S. Cesar. Maj. Consiliarius, & Comes Palatinus &c.*: ultro beneficium hoc post aliquot in *Academiis annos* feliciter consumptos, sit pollicitus. Neque promissum eventus fefellit. Qua de causa, cum ex autoritate *Patronorum, & Præceptorum Illustrem hanc Academiam Wittenbergensem, Anno 1676.* primum salutasset, ordinem accuratum in Studiis observare, & quasi per gradus ambulare voluit, ut ad perfectionis metam suo tempore migraret. Novus in *Academia nostra Civis novum* sensit veræ *sedulitatis impetum*, semper *antiquū illud* animo servabat: *Ordine pervenies, quo non datur ire labore. Primam curam Philosophiæ* dabat, quæ post *scripturam*, manum *dextram*, *sinistræ* locum obtinet, & sub *Præcell. Viro, Dn. M. Johanne Wolfio, tum temporis Facult. Phil. Adj.* satis celebrato, nunc *SS. Theolog. Doct. & Ecclesiæ Wernigerodane Pastore, totiusq. Comitatus Superintend. & Consist. Ecclesiasti Adsessore Gravissimo*, potissimas *Philosophiæ* partes *auscultando, disputandoq.*, non superficialiter tractabat. *Alteram* industriam *Theologiæ Positivæ*, tanquam Deo dicatus tribuebat, & sub *B. Dn. D. MICHAELIS WALTHERI* *manductione*, mirum quantum proficiebat: *tertiam Philologiæ sacræ*, maximè necessariæ, partem industriæ suæ tribuebat, & sub *Celeberrimo Philolog. EXCELLENTISSIMO DN. THEODORO TASSOVIO, LL. Orientalium in hac Academia P.P. fidelissimo*, varios profectus quæsit, & obtinuit. Hic etiam neutiquam simplici vice *Nostrum* sibi maximè devinctum reddidit. Nam cum hic *Patronus* animo secum constituisset, visitando peregrinas oras, & *Academias*, voluntariū ad temp9 exiliū sustinere, & ad annū indulgentiam Superiorum impetrasset, *Noster CANDIDATUS* nihil magis in votis habuit, quam ut *Comes itineris fructuosi* fieret. Cum igitur à